


MELETEMATA QUÆDAM  
DE  
INFLAMMATIONE  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM  
ORDINE  
IN  
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA HONORIRUS  
LEGITIME OBTINENDIS  
DIE III. MAII MDCCCXX  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
AUGUST ERICH KYBER  
LIVONUS.

---

DORPATI LIVONORUM  
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHUNMANNI.  
MDCCCXX.



Imprimatur,

ea quidem conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, priusquam distribuatur, septem exemplaria ei collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, die xxi. Apr. MDCCLXX.

Dr. Joannes Fridericus Erdmann,  
Censor.

— *Medicinam non post rationem inventam esse, sed post inventam medicinam rationem esse quaesitam.*

*Celsus.*

D 16789

constructa, prospectum tamdiu exoptatum, nihilominus non praebent. Alius, materiam amplectens, molem indigestam dividit et distrahit, particulisque disjunctis, mira quadam sagacitate, Monades significat et Atomos. Alius, ad altiora tendens, istum ex sede, ut ipsi videtur, sublimiori despicit, tanquam plus justo materiae faventem; sed dum iste, solido innitens, sibi constat, hic sensim sensimque delapsus, sin posset, in terrae gremium se absconderet. — Alius, singulis hisce non contentus, utrumque modum harmonice conjungendo, eclecticam quandam sequitur rationem. Vitreis nunc acida infundit, nunc alcalia, coquit, reducit, sublimat, destillat, ac in retorta tandem aperta nil nisi Morphiū quoddam reperit, sibimet ipsi sopiferum. Aut post multos, temere susceptos labores, occultam aliquam qualitatem — vim vitalem denominant — in medium profert. Sic Cel. Reilius, post multos irritos conatus, nobis revixit; sed non multo post rursus devius factus, decessit.

Siccine, cum nulla nobis explicatio arrideat, et limites mentis humanae, quod Kantius ostendit, transcendendi nequeant, nulla spes superest salutis? „Sed nolite explicare; satis erit, si partium et functionum singularum vim et naturam inveneritis. Ex minoribus majora colligatis, in Universo eorum, quae terra procreat et praebet, vestigia quaeratis.“ Sic fere praecipit Philosophia naturae, vulgo sic dicta, cujus

quidem symbolum est: intelligendi facultatem (Verstand) otio frui sinatis, ratione (Vernunft) tantum utamini. Adeone illustrissimum illud naturae donum negligere licet? Annon potius, ubicunque copia detur, uti debemus hac facultate? Atqui nullus est, credo, neque inter ipsos Naturae philosophos, qui hac integritate, perperam sic dicta, gloriari possit. Imo plures, quod minime mirandum, hujus scholae sunt et Atomistae et Dynamici et Chemici, plures, quibus, ut Okenio, nimium Atomistices studium crimini detur.

Qui autem, cum tanta sit disciplinarum discrepantia, observata aliqua res uno eodemque modo explicari potest? Sententiis, e diametro sibi oppositis, perturbationibus inde in natura observanda ortis, omnia misceantur, confundantur necesse est. Nostram de inflammationibus doctrinam vel inprimis tenebris obrutam esse, nemo est, qui ignoret. „Quicumque de Physiologia, Pathologia et Therapia scripturus est, hunc, priusquam ad ipsa scientiae adyta propius accedat, suam de inflammationis constructione opinionem proponere oportet, in qua nimirum fundamenta universi systematis medici posita sunt.“ Ita fere recentiorum aliquis scriptorum judicat. Cujus vestigia prementes plerique, qui organismi humani morbos universe pertractarunt, magnam eorum partem huc referunt, cum nullus sit omnino corporis status, qui

arctius, quam inflammatio, cum omnibus morborum generibus cohaereat, quapropter omnes paene medici in systematibus pangendis ab inflammationis natura et statu inflammatorio explorando et definiendo ordiuntur.

Jam vero Te compello, erudite Lector. Hoc, quod Tibi offero specimen, primum esse studiorum meorum fructum, memor sis, quaeso. Ideae, quas proposui, si verae sunt, experientiam probabuntur; sin minus, cognitionis meae, qualis nunc est, tenuitati indulgebis. Emendationes et correctiones, nec non, si potero, idearum argumentationes, suo tempore afferam.

## Cap. I.

### *I n t r o d u c t i o.*

#### §. 1.

Quaenam sit inflammatio, a chirurgis et medicis per multas seculorum vices quaesitum est, cujus ubi indolem definire ipsis non contigit, satis sibi fecisse videbantur, si verbis rem circumscripserant. Deinde sedi hujus morbi indagandae operam dabant, causas moventes respiciebant, et in morbi naturam inquirebant. Sed multum abfuit, ut posteris sufficerent. Nostram demum aetatem notiones acrius distinctas latiusque patentes tulisse, duae prae ceteris exstant causae:

altera, quod Chirurgiam a Medicina sejunctam exercent ii, qui omnem cogitandi et philosophandi rationem e doctrina sua ejicientes, experientiae limites transgredi non auderent, altera, quod medicina ipsa non prius, quam in seculis proxime elapsis cum inventorum multitudine, tum accuratioe rerum naturaeque indagatioe amplior, ideoque generi humano fructuosior redderetur, quo factum est, ut magis magisque scientiae nomen mereretur.

Posteaquam autem Chirurgiam et Medicinam, arctius inter se junctas, tractari coeptum est, huic quoque scientiae medicae parti lucem allatum iri sperabatur. Quamquam hoc, quo vivimus tempore, in plerisque academiis haec disciplina Chirurgiae inseratur, multi tamen Pathologi et Therapeutae in suas quisque scholas eam intexere coeperunt, et, quod vehementer optamus, fieri potest, ut quondam partem generalem tractandam Physiologis tradant. Quae cum ita sint, perjucundum est, Chirurgiam et Medicinam tam arctis inter se vinculis conjunctas esse, ut neutra alterius ope carere, neutra seorsim posita per se efficax esse possit.

Inflammatio ab omni usque aetate vere crux medicorum fuit, cui tradendae cujusque temporis vestigia impressa, cujusque scholae tunc temporis usitatae indicia adhaerentia, nullo negotio reperias; quo efficitur, ut

hoc studium, si per temporis ordinem persequaris, systematis cujusvis imaginem mira quadam perspicuitate et suavitate, tanquam in speculum inspicienti Tibi repraesentet. Maximae igitur Naturae philosophis (si discesseris ab imitatorum grege, qui illorum ideas non satis intellectas suis commentis miscere, neque sua praecepta ad naturam sed potius naturam ad sua praecepta accommodare conabantur) maximae, inquam, his viris gratiae sunt habendae. Ceterum ubi non omnes, quas protulerunt, definitiones pariter veras et omnibus vitiis carentes reperiamus, tamen aperta et ingenua errorum, in hac nostra disciplina obtinentium, confessio, aequae ac voluntas ad verum inveniendum propensior, laude omnino efferenda. Et quidem condita hac schola plures de hoc argumento commentationes prodierunt, cum usque ad ipsius Brownii tempora haec regio inculta jacuerit.

## §. 2.

Quod ad vocem: inflammatio attinet, omnibus paene linguis haec denominatio vulgaris, sive a communi notione caloris, quamvis hoc symptoma non ubivis sibi constet, profecta, sive ex altera in alteram linguam translata et servata, quod quidem in pluribus hujusmodi nominibus fieri solet. Vocatur autem hic status:

apud Graecos *φλεγμονη, φλεγμια.*

apud Romanos incendium, inflammatio, phlogosis, phlegmone.

- Anglos inflammation.
- Batavos Ont-steeking.
- Gallos phlegmone, inflammation.
- Germanos, Entzündung.

simili modo apud Italos, Hispanos, reliquos. Hanc appellationem usu comprobata, nemini, ne res magis etiam turbetur, pro suo arbitrio mutare licet; nisi in posterum systema, experientiae purae superstructum idque firmum existerit, cui terminorum constituendorum curam committere poterimus. Neque, si quis nascatur, quem adhuc desideramus, vir eximius, qui universam Medicinam vitiorum sordibus purgans, et communibus principiis nitens, nomen inflammationis omnino deleat, hoc vituperandum foret. Tale enim consilium mentis humanae incrementa promovens vel magnam Medicinae utilitatem afferre posset.

## Cap. II.

### *Symptomatologia.*

#### §. 3.

Inflammationis symptomata a plerisque conformia haberi videmus. Alter alterum in proponendis symptomatibus sequitur, neque eo minus in dubitationem ea revocat, cum saepissime, praesente morbo, tamen

unum alterumve indicium desit. Pathognomica indicia vulgo rubedo, calor, tumor, dolor loci habentur. Quae minime concedere possumus. Etenim, tumor et dolor omnino abesse possunt, quippe qui nonnisi in morbi progressu nascuntur, qui non per se fit, sed tantummodo ab aegroti habitu pendet.

#### §. 4.

Age nunc de symptomatibus propositis breviter dicamus; atque primum de dolore. Jam Hamlyus, Vir praeclarissimus, Troxlerus, alii, hoc symptoma non necessario ad inflammationem pertinere monuerunt. Marcus vero ita argumentatur: dolor si pro indicio proprio et necessario sumi posset, majori et graviori inflammationi, etiam convenire debere graviolem dolorem. Ut contrarium probetur, satis erit in memoriam revocare Peripneumoniam comparatam cum Odontalgia (quae an vere sit inflammatio, adhuc lis est). Imo Pleuritis, quae est inflammationis genus Peripneumonia inferius, nihilominus multo majores affert dolores. Pariter haec symptomata non propria esse, indicio esse possunt absentes in inflammationibus occultis et chronicis tumoris dolores. Nam haud raro pus et pyogenesis, velut in ossibus, nullo praecedente doloreprehenditur; imo Corneitis omni propemodum dolore vacat. A medicis, qui inflammationem occultam ponunt, vel stagnatio sanguinis in mortuorum corporibus, vel foramina,

quae in cadaverum stomachis inveniuntur, inflammationi, quae in gangraenam scilicet abierit, imputantur. Sed Hunterus jam monuit, haec effici crebro succo gastrico, post mortem corrodeute. Jaegerus vero dissertationem de hac re scripsit, quae exstat in Hufelandii ephemerid., sane lectu dignam. Haud scio, an modum excesserint, quoniam mirum videtur, stomachum, utpote organum nervis praeditum, absque dolore affici posse.

Dolor forsitan pro modo nervorum partis morbose affectae aestimandus esset, ita ut, quo pluribus quodvis organum nervis praeditum sit, eo gravior sit dolor, nisi multitudo sanguinis hic quoque permagni esset momenti. Siquidem sanguinis et nervorum vim pro factoribus, qui invicem sibi oppositi universam vitam representent, habere licet, hoc modo forsitan illud phaenomenon, ab utrisque unagentibus, efficitur.

Nonne id, quod dolor fertur, magis apte status irritatior dicatur?

#### §. 5.

Alterum, quod vulgo traditur, symptoma est rubedo. Reiliius alique hoc explicare studuerunt, satis quidem acute, sed parum recte; quandoquidem nonnullae partes, veluti cornea, cum inflammatae sunt, non rubescunt, sed albescunt.

Haud scio, annon potius ita constituendum foret, eas tantummodo partes, quae aut cum sanguine aut cum vasculis, quae secundum naturae leges adauctae, sanguifera vasa fieri possunt, connexae sunt, eas igitur, quando inflammantur, rubescere; reliquas vero, per se albas et pellucidas secundum naturam suam magis etiam albescere, quod in cornea reperimus.

Ceterum, ut leviter hoc perstringam, plurimae theoriae hac rubedine nituntur, et non solum primas partes, sed etiam proximam causam omnis inflammationis arteriis vensque tribuunt. Sed quaevis congestio, quodvis sanguinis extravasatum, pressu in partes sensiles facto, dolorem; volumine aucto, intentione, calore et vehementiori sanguinis impetu duritiem et tumorem necessario efficiunt, qui status persaepe cum inflammatione confundebatur; unde magni in dignoscendis morborum generibus errores nati sunt, nostra adhuc aetate obtinentes. Crebro autem congestiones absque ulla inflammatione offendimus, veluti in hominibus pudore rubefactis. Congestiones omnino ad normam fiunt in papillis et virilibus et muliebribus, in erectionibus penis, in menstruatione incipiente etc. Magis vero agunt in inflammationibus, maxime in omni reproductione, quin etiam in generatione.

### §. 6.

Tertio loco dicendum nobis est de partis inflammatae magnitudine aucta, seu de tumore. Efficitur autem tumor vel relaxatione totius parenchymatis, quare imprimis, ubi telae cellulosae in statu integro plurimum accumulatum fuerit, apparet; vel extensione vasorum, vel effusione liquidorum, quae tamen rarior causa tumoris est, cum affluxus serius fieri solet; vel denique, prout jam vidimus, extravasato, quum, nimirum delato in vasa capillaria sanguine, qui quidem, ob minorem systematis resorbentis efficaciam, non pari celeritate recipi et reduci potest, mutatis vasorum systematis functionibus, liquidorum accumulatio, et partium extensio fiat, qui est tumor. Inde patet, tumorem nequam pathognomicum inflammationis signum esse. In pluribus inflammationibus tumor omnino deest, neque semper simul cum inflammatione, sed serius apparet.

Etiam duritiem inflammatio comitem habere dicitur. Equidem hanc in primis morbi stadiis non saepe visam esse opinor. Duritiem non statim simul cum inflammatione adesse, sed serius insequi, et plasticae lymphae coagulatione oriri, indicio est praeter ossium, quorum cohaerentia propemodum cartilaginea fit, corneae quoque inflammatio, mucis instar dissolutae. Erroris forsitan haec est causa, quod tensio per tumorem effecta, pro duritie habebatur.

## §. 7

Jam ad ultimum locum pervenimus, qui est de calore. Calor, etsi non necessarium inflammationis symptoma, tamen frequentissimum et prae caeteris proprium, Marco teste, analogum est irritabilitati et electricitati; sed hic quoque una dimensione caeteras tres contentas esse reperimus, unde sequitur, etiam inflammatione haec tria momenta contineri. Calor, rubedo et dolor manifesto cum his tribus momentis, calor scilicet cum electrico, rubedo cum magnetico, dolor cum sensili irritabilitatis momento congruunt. Ideo calor, quoniam suam ipsius dimensionem significat, primum et validissimum est. Rubedo congruit cum reproductione in irritabilitatis systemate, unde humores etiam symbolam suam huc conferunt, sed secundas tantum partes agunt. Simili modo dolor cum momento sensibilitatis convenit. Quatenus haec sententia cum nostra conspiret, ejus theoriae, quam Marcus protulit, censura docebit; nihilo tamen secius calor pro symptomate inflammationis maxime necessario habendus est, quia:

- 1) vehementiori humorum impetu et dynamicæ et mechanicæ plus caloris solvitur.
- 2) in omni inflammatione, ut constat, partes consentientes, cum afficiuntur, vehementius agunt, unde calor proficisci consuevit.
- 3) febris inflammationem comitatur.

Calorem augeri, praeter Hunterum etiam alii scallae thermometricæ ope observarunt. Caeterum auctus calor saepissime in frigus abit, quo facto aut partis inflammatae torpor manifestatur, ut in gangraena, aut restitutio perditorum, ut in suppuratione.

## §. 8.

Etiam hic functio partis inflammatae impedita respici debet, quod patet ex Physiologia et Pathogenia. Est autem diversa pro cujusvis habitu et pro gradu inflammationis; nam quo magis secretio et excretio mutantur, eo gravius nutritio affici debet, quod quidem diversum est pro diversis inflammationis generibus.

- 1) pro gradu inflammationis,
- 2) pro organo, plurimum affecto,
- 3) pro genere et specie inflammationis.

Secretio modo augetur, modo minuitur, quo fit, ut inflammationes modo sint siccae, modo humidae; oculus quam maxime inflammatus, siccus est.

## §. 9.

Crebro febris una cum inflammatione sese exserit, et quamvis non statim ab initio adsit, tamen morbum adauctum nunquam non sequitur. Recentiorum nonnulli contenderunt, notionem inflammationis et febris unum idemque valere. Hoc sensu

Marcus: inflammatio, inquit, topica febrem, febris inflammationem procreat. Nulla potest organi inflammatio esse, nisi febre comitante, aequae ac nulla febris intentior fiet, nisi organa prius affecta fuerint. — Nullum igitur, si rem universe spectes, intercedit discrimen inter febrem et inflammationem, cum utraque simili modo, illa in systemate, haec in singulis tantummodo partibus et organis versetur. Ex omni febris inflammatio nasci potest. Adeo secundum Marci theoriam, qui contendit in inflammatione haud secus ac in febris arteriarum systema affici, discrimen inter inflammationem et febrem magnum esse nequeat; quod equidem dubito. Febris nimirum tum demum accedit, ubi pars affecta totum organismum comprehendit et morbum communem efficit. Quid? Conjunctionem quandam inter febrem et inflammationem esse, experientia docet in pneumonia cum febre primaria, et in pneumonia cum febre secundaria.

#### S. 10.

Iam aliud phaenomenon, etsi non pertinens ad symptomatologiam, hoc loco, qui aptissimus nobis videtur, non sine metu quodam proferemus, nec non postea de eodem dicturi sumus. Dico nimum formativum intensiorem, generationi analogum. Rationes, quibus nitor, hae sunt:

1) Phaenomena exstant, generationi congrua. Ut

exemplis rem illustrem, Hunterus venas inflammatas intus lympham quadam coagulata obductas vidit, et Reilii venam renalem et venae cavae, in quam desinit, partem haud exiguam albo quodam polypo expletam et obstructam. Hunterus licet hanc fibrarum sanguinearum in inflammatione coagulationem ex vi earum vitali aucta deduxerit, cuius nimirum ope in substantiam organicam verti possit, tamen multum abest, ut hoc visum explicaret. Omnino certum non est, an fibrarum materia, cum inflammatio accesserit, propensior fiat ad coagulandum, quam statu sano. Equidem dixerim, hanc procreationem lymphae et fibrosae materiae in inflammationibus ita communem esse, ut forsitan cum earum indole et consiliis, quae natura in inflammatione sequatur, arctius, quam vulgo credunt, cohaereat. Sic in phrenitide eas deprehendimus prope falcoformem processum; in ophthalmia conjunctivam tegunt; in linguae et faucium inflammationibus, Reilio teste, tonsillae et tota lingua saepe cute quadam viscida obducuntur; in visceribus inflammatis fibra sanguinea in superficie aut parenchymate suo exsudat; post hepatitis tumores materiae fibrosae extravasatae eximii remanent; inflammatio sensim sensimque desinit, et vegetationis residua tantummodo apparent, velut in angina membranacea, ubi inflammatio vix conspicua est, sed exsudatio eo magis.

Quamquam haec, de quibus modo diximus, non

in omni inflammatione producantur, tamen adhuc quaeratur, annon pura inflammatio semper eo inclinet. Quoniam alio modo exostoses, quae inflammatione procreantur, definiamus, quomodo exsudationes, membranarum serosarum procreationem, ossium denique incrementum adauctum?

2) Perditarum partium restitutio, suppuratione, rell. effecta.

Eandem non in quavis inflammatione apparere, hae sunt praecipuae causae: primum plures inflammationes, quo minus evolvantur, medendi modo prohiberi; deinde vis major, quam totus organismus in singulas partes exercet; tum partium singularum vis minor, quam quae morbi normam sequi possit. Quod locum habet in quovis morbo, cujus imago (Ideal) a Therapeutis proposita, eventis fortuitis, nec non pro diversa cujusvis aetate, genere, abnormitate nativa etc. penitus immutatur, ita ut nonnunquam morbus omnino adsit, quamquam singula symptomata, eaque primaria, desint.

### Cap. III.

#### *Theoriae.*

##### §. 11.

Permagnus sane variarum explicationum et theoriarum numerus. Alii nempe humorum pathologiae

addicti sunt, alii sunt Pneumatici, alii Methodici, alii Spiritualistae, Iatro-Chemici et Iatro-Mathematici, alii Boerhaavium, alii Stahlum, alii Hallerum sequuntur. Explicationum, quas proposuerunt, multitudo, quid, quaeso, nos juvat? De singulis tantummodo symptomatibus inflammationis disseruerunt, indolem vero et naturam ipsam hujus morbi ut explicarent, multum abfuit. Nostra demum aetate, postquam medici vera philosophandi via ingredienti, tenebras propulerant, — nonnulla licet errorum vestigia remanserint, olim delenda — lux accensa est nostrae quoque, de qua agimus, doctrinae. Sed haec lux, dicat forsitan aliquis, non omnia omnino declaravit. Certe causas errorum docuit, accuratius rem inspicere monuit, quae penitus perspiciendae impedimenta offererint, atque conatus, huc usque susceptos, irritos reddiderint, monstravit; sperandum esse, haec mysteria magis magisque revelatum iri. Sic Schellingius, Reilii aetate provector, Marcus, Himlyus, Troxlerus, Schelverus, reliqui; quibus omnino pro eximia, qua rem egerunt, industria, gratiae habeantur. Horum ideas, quas quidem perspectas habere videmur, infra examinabimus.

##### §. 12.

Age nunc de praecipuis, quae exstant, theoriis dicamus. Leviores mittamus, quoniam pro diverso scholae obtinentis modo aut mechanicam, aut chemicam, aut dynamicam, quaedam etiam atomisticam rationem plus justo sectantur.

## §. 13.

Ordiri placet ab Hippocrate, atavorum medicorum principe. Is inflammationem ex errore sanguinis in vasa, quibus antea non continebatur, derivat. Mancam hic deprehendimus in anatomicis cognitionem. Veteres enim ante inventam et notatam sanguinis circulationem, arteriis non sanguinem, sed spiritum aëreum inesse putabant; — tanquam ab *αἴρ* (aër) et *τηρεω* (servo) — venas solas sanguinem ducere. Sed nemo, credo, concedet, sanguinem venarum in arterias retro labi. Falsa igitur ejus opinio de vasis sanguinem ducentibus, fuit, unde falsa quoque inflammationis explicatio proficisci debuit, cum in sanguine causam moventem quaesierit. Certe, quoniam omnia ei primitus experienda, omnia, cum nemo ipsi viam munierit, invenienda erant, suae aetati, quae neque anatomicam neque aliam medicam scientiam noverat, satisfecisse censendus est. Practica ejus methodus utique laudibus ferenda; minus theoretica, quin imo vituperanda, quippe quae in pluribus erroribus versetur.

## §. 14.

Sequitur Galenus, qui etsi post Coelium Aurelianum vixit, tamen inter Alexandrinos seu Pneumaticos censendus est. Accedit plerumque Hippocratis sententiae; etiam errorem loci retinet. Praecipue inflammationum therapiam respicit, easque pro diversa sanguinis aliusque materiae in vasis mixtione, dividit:

1. in inflammationes spirituosas,
2. — — — sanguineas,
3. — — — biliosas,
4. — — — mucosas.

Hippocratis hypothesei adumbrata, etiam haec omni pondere privatur.

## §. 15.

Coelius Aurelianus, qui vere Methodicorum scholae conditor habetur, bene meruit de humorum pathologia coercenda. Omnia retulit aut ad Strictum aliquid aut Laxum, unde methodus medendi aut strictus aut laxus, eaque mere mechanica. Etsi de iis, quae ad inflammationem procreandam faciunt, si accuratius inquiras, in genere nusquam disseruit, tamen ex omnibus locis librorum 2 priorum, quos scripsit de morbis acutis et chronicis, ubi de phrenitide, pleuritide et peripneumonia commentatus est, tantum elici potest, stricturam fibrarum causam inflammationis proximam esse, eum credidisse. Quae ratio nobis quidem nimis mechanica videtur. Etenim crebro laxatio vasorum et fibrarum reperitur. Si strictura unica inflammationis causa esset, quomodo sanguinis in vasis capillaribus affluxum, quomodo tumorem explicemus?

## §. 16.

Nunc medicina per longum temporis tractum neglecta humi jacuit. Floruit fere non nisi in Arabia

ibique defloruit, neque fructus, quos, ut probabile est, abunde protulit, nobis decerpere contigit. Pauca tantum hujus aevi monumenta supersunt. Rhazes, Avicenna superiores inflammationum explicationes retinuerunt, quo factum est, ut haec doctrina non simul cum caeteris exulta esse videatur. Nonnisi practicam partem spectantes, egregia praecepta therapeutica proposuerunt. Minime vero in Pathogenia explicanda sufficiunt.

## §. 17.

Medio aevo Medicina crassa premebatur caligine. Praeter Galenum, Arabici scriptores unicum solatium, unicus sapiendi fons. Tandem exstitit exitus ille stator, divinitus instaurandae scientiae missus. Dico Paracelsum. Primus, vel certe inprimis, Spiritualistarum scholam condidisse judicandus est, quippe qui Platonikum *περι πνευματος* placitum magis etiam excoluerit. Sed is quoque genio saeculi abreptus ad extrema quaeque sectanda, ab aurea mediocritatis via decessit. Sic Dynamicus evasit. Sermo, quo utitur mysticus, intellectu sane difficilis, et diuturnum studium requirens, cum aliis, tum mihi impedimento fuit, quo minus ejus scripta legerem. Quare de iis judicare mihi non datum est. Nullam inflammationis definitionem reperi, neque peculiariter de hoc morbo egit. Fore igitur non dubito, ut

lector benevolus ejus opinionem non prolatam esse, ignoscat.

## §. 18.

Simili prope modo Joh. Bapt. van Helmont Dynamicorum sectator nimis strenuus, omnia morborum genera ab Archaeo Paracelsi deduxit, minusque ac debuit, ad singulas partes et materiam respexit. Disseruit de irritamento quodam, de spina inflammationis, caeterisque hujusmodi argumentis. Quam parum ei assentiendum sit, infra videbimus.

## §. 19.

Insequentes nonnullas scholas, quae seriore demum aetate ad inflammationum naturam explorandam fecerunt, silentio praetereamus, alio loco de iis dicturi. Venimus ad definitionem Viri, qui magna sua in arte medica auctoritate apud omnes valuit, cujusque de inflammatione opinio per longam temporum seriem omnibus probata fuit. Recentiorum medicorum diligentia istam sublatam esse, utique ex re ipsa sequitur.

## §. 20.

Dico Herrmannum Boerhaave, qui, quantumvis novae scholae conditor, suae tamen aetatis vincula exuere non potuit. Causam inflammationis posuit in vasorum obstructione, quae scilicet sanguine nimis

coagulato effecta sit. Ejus theoria plus justo in praeceptis mathematicis et mechanicis versatur, et, quod cernitur ex ejus argumentatione, cum humores pro momento inflammationis primario habeat, humorum pathologiae favet. Experimentis scilicet, quae Leewwenhöckius, egregius ille naturae scrutator, microscopiorum ope in sanguine contuendo factitaverat, fretus, istam hypothesin promisit.

Nimirum Leewwenhöckius notaverat, sanguinis globulos in 6 globulos flavos dividi posse, hos vero in totidem serosos globulos solvi. Contendit ergo, omnes hujusmodi globulos solvi ex sanguinis globulis, et rursus ad pristinam suam conditionem reverti posse. — Etiamsi hae indagationes subtilitate commendantur, quinimo si nobis omnino probarentur, tamen ista opinio pro vera nullo modo accipi potest, quoniam hanc syntheticam et analyticam rationem in vivo organismo haud facile reperias. Quantopere autem in mortuorum corporibus perscrutandis falli possimus, nemo fere erit, quem experientia non edocuerit.

Attamen Boerhaavius, hisce confidens, ulterius progreditur et colligit: totidem atque in sanguine globulorum genera reperiantur, inesse etiam in vasorum systemate singulas vasorum species. Vasis capillaris partem extremam in duos truncos scindi, quorum alter ad venam aliquam feratur, alter vasis ali-

cujus lymphatici truncus primarius sit, qui quidem arterialis esse debeat. Hanc lymphaticam arteriam denuo in duos truncos desinere, quorum alter in venam lymphaticam, alter in vas quoddam serosum abeat. Etiam de vasis, ut ipsi videtur, spiritum aëreum seu vaporem solum ducentibus Boerhaavius loquitur.

Jam conicam totius vasorum systematis structuram, basin scilicet coni ad cor, verticem ad peripheriam versum, respiciens, quodvis vasorum genus globulos sibi proprios ducere asserit, ita ut lymphatica vasa flavos, serosa albos eosque serosos, sanguifera autem synthetica quadam ratione cujusque generis globulos ducant.

Ut paucis rem absolvam, Boerhaavii theoria in eo versatur: inflammationem nasci, dum globuli sanguinis, diametro vasorum majores, in alia vasa pelluntur, et errore loci stagnationem sanguinis, et aliorum humorum, obstructionem, efficiunt, et sanguinis consistentiam spissiore reddunt. — Inde colligendum esset, Phlegmaticos prae caeteris ad inflammationem proclives esse.

Boyerus istius hypotheseos vanitatem tali modo demonstravit. 1) Maximam in arteriis obstructionem subligando efficere possumus. Etenim sanguis stagnans per multifarias anastomoses, ulterius pellitur,

neque tamen in partibus remotioribus inflammatio nascitur. 2) Quodsi revera hac obstructione inflammatio efficeretur, eadem a vase obstructo ad cor usque propagetur necesse est; quod non. Ex uno potius centro oriri et peripheriam versus porrigi consuevit.

Sic sententia, quam supra tulimus, procul dubio firmatur. Quam saepe vasa, arterias, venas, cum nolumus, comprimimus dormientes; vestimentis angustioribus, fasciis etc. etiam vigilantes! neque quidquam inflammationi simile inde gignitur. Neque nexus inter vasa sanguifera et lymphatica huc usque omni caret dubitatione.

#### §. 21.

Boerhaavii theoria diutius, quam reliquae omnes imperavit, atque licet interea plures aliae recens conditae prodierint, tamen haec omnes, dum nascebantur, oppressit.

#### §. 22.

Age nunc Lud. Hofmanni, vulgo Moguntini dicti, Pringlii et Wedekindi theorias, etsi non uno eodemque tempore prolatas, tamen haud inter se dissimiles, parumque solidas, hoc loco adumbremus.

Ut primo conspectu apparet, hi sequuntur Sylvium de Boë, qui nil nisi acida et alcalia in vitam

agere contendit; hujus igitur sententiam, jamdudum ante Boerhaavium usitatam amplectuntur. Hofmannus alio tantum nomine in eadem re significanda utitur; nam causam inflammationis in materia septica positam esse credit. — Wedekindo inflammationis externae causa quaecunque irritamentum valet; internae vero aucta sanguinis ad putredinem pronitas. — Pringhus sanguinem nimis acrem stimulum inflammationis agnoscit.

Inflammationis causam necessariam esse sanguinis indolem mutatam neque experientia docuit, neque in vividis eam cognoscere datur. Possunt omnino facere ad inflammationem procreandam, sed ad rem ipsam neutiquam pertinent. Etiam si nobis cum pluribus medicis in eo conveniret, in omni febris paralytica pronitatem quandam sanguinis ad resolutionem esse, quod quidem nondum evictum est, nihilo tamen magis haec pro necessaria inflammationis causa habenda est.

#### §. 23.

A. Hallerus tunc inflammationem nasci docet, quando sanguis in telam cellulosa effundatur. Haec explicatio nil nisi extravasatum, quod in nonnullis inflammationibus cernitur, spectat. Saepenumero autem extravasatum sine inflammatione offendimus; ergo extravasatum neque efficit inflammati-

onem, neque inflammatio ipsa est. Omnino Halleri sententia cum Hippocratia convenit. Sin Hallerus telam cellulosa non solum pro systemate affecto habuisset, sed magis etiam vim ejus vitalem respexisset, fieri non potuisset, quin multas huic doctrinae obfusae tenebras discussisset, praesertim cum tot in vividis sectiones factitaverit.

§. 24.

Multi nunc prodierunt Halleri sectatores, qui inflammationem nil nisi extravasatum esse censerent. Alii vinculis etiam angustioribus tenebantur, qui effusionem solam et congestionem sanguinis inflammationis naturam absolvere putarent. Congestio autem dicitur, quando humor aliquis in parte aliqua coarceatur, — quod ad sanae conditionis leges fieri nequit — et desinit eadem qua orta est, celeritate. Interdum sane ad inflammationem facere potest.

§. 25.

Winterl arteriolarum extensionem, venarum vero coarctationem proximam inflammationis causam agnoscit. Sed scimus venas in aliquot inflammationibus permultum sanguinis continere, et venosas interdum apparere inflammationes. Si omnia ipsi concedimus, tamen hanc per se causam congestionem tantum efficere arbitramur.

§. 26.

Celeb. Cullen, qui „irritamento et collapsu“ suo Brownii scholae viam munivit, cujusque systema quodammodo cum Coeli Aureliani de „Stricto et Laxo quodam“ disserentis sententia congruit, causam proximam inflammationum credit esse spasmus in finibus arteriarum et venarum, ubi arteriae magis minusve repletae essent, venae contra vacuetae. Ecce mera congestio. — Hoc loco etiam Richteri definitionem afferre liceat, paucis tantummodo argumentis a Cullenii diversam. Is nimirum causam inflammationis proximam“ a strictura spastica vasorum, oscillatione fibrae sensibilis et irritabilis aucta, copiosiori affluxu! motuque celeriori humorum in parte affecta“ derivat. Sed ubi spasmus et strictura alicujus vasis reperitur, caetera vasa vacueta fieri oportet, unde major in partes constrictas humorum copia fertur, quo congestio efficitur. Sin vere spasmus adsit, motus celerior vix cogitari potest, et contraria opinio, secundum quam motus lentior et tardior redditur, potius nobis arrideret.

§. 27.

Similem propemodum sententiam, ac Richterius proposuit, causam inflammationis esse motum celeriorum humorum in parte affecta, jam antea van den Bosch protulerat, quae nobis quidem multo aptior videtur. Secundum hunc inflammatio est „aucta

in vasis capillaribus oscillatio<sup>4</sup>. Sed quaerat forsitan aliquis, quomodo modo haec efficiatur? quare non idem in vasis lymphaticis usu veniat? Ac si tantum capillaria vasa oscillationem patiuntur, tamen aliquid analogum in caeteris vasorum systematibus reperitur necesse est. Praeterea secundum hanc opinionem inflammatio non nisi irritabilitatis morbus censendus esset. Huic sententiae nostra adhuc aetate multi celebriorum medicorum addicti sunt.

§. 28.

Alii hanc explicationem mutarunt, et definiunt inflammationem „auctam vasorum vim vitalem etc.“ Sic Imman. Meier. Verum persaepe non auctam temperiem reperimus, veluti in inflammatione typhosa, atque pro ista definiendi ratione unus modo esset inflammationis character, synochicus (sthenicus).

§. 29.

Naturae philosophi sequentia in usitatis theoriarum vitia reprehenderunt:

1) Sola symptomata et effectus inflammationis notata, causarum vero indagacionem plane neglectam esse.

2) Notionem inflammationis finibus angustioribus circumscribi, si unum tantummodo, e. g. irritabilita-

tis systema affectum censeatur. Olim arteriarum functionem solam respectam esse.

3) Vires pro unicis inflammationum causis habitas esse — secundum theoriam incitationis.

4) Nimum humorum affectioni tributum esse.

§. 30.

Quatenus recentior aetas hisce vitiis abstinerit, et contra in alia ruerit, opinionum, quae nunc sequuntur, expositio docebit.

§. 30.

Recentiores fere omnes in eo conveniunt, inflammationem esse morbum vegetationis. Iam Ill. Brandis hoc innuit, qui quidem suspicatur; „partem nullam [posse inflammari, nisi telam] [cellulosam, quaeque illa] vestiuntur organa.

§. 32.

Argumenta, quibus Himlyus ad demonstrandam hanc sententiam utitur, sunt haec, quae sequuntur:

1) Ad formandam inflammationem longius tempus requiritur. Attamen sensibilitas et recipiendi facultas (Receptivität) brevi temporis momento et augeri et minui potest, quod etiam in agendi facultate (Wirkungs-Vermögen) aut irritabilitate usu venit. Itaque inflammatio dicitur, quando producendi fa-

cultas (Productivität) afficitur; natura, semper ad producendum propensa, sensim sensimque eam efficit.

2) In nullo alio morbo tantam materiae organicae commutationem offendimus, quantam in inflammatione, et quemlibet celerioremsignioreque organicae materiae commutationem semper unum alterumve inflammationis symptoma comitatur. Vice versa nulla inflammatio hac commutatione caret.

3) E momentis fortuitis, quae ad procreandam inflammationem faciunt, ea sunt gravissima, quae conditionem partium materialem celeriter mutare valent.

4) Varia inflammationis symptomata in Vegetabilibus quoque reperimus.

#### §. 33.

Argumenta haec per se ipsa maximi sane sunt ponderis. Quorum primum legenti statim in mentem veniunt apoplexia, et sanguinea et nervosa, amaurosis, rell. — Organicae materiae commutatio manifesto deprehenditur post violationes, mechanice factas, veluti in vulneribus, caesim punctivme inflictis, in extremo inflammationis stadio, in pyogenesi, in gangraena. — Ecquis est, quaeso, cui non multariae, quae inflammatione gignuntur, incommoda succurrant? — Quodsi salicem et alia Vegetabilium genera, cum aegrotant, intuemur, hic eorum

status omnino quibusdam inflammationis symptomatibus respondet. An alia conditio arborum cavarum, inserendi et inoculandi?

#### §. 34.

Jam vero Himlyo, Viro inter medicos Summo, inflammatio nasci videtur, quando telae cellulosae oeditio quoad receptivitatem et agendi facultatem turbatur. Quae definitio prae caeteris omnibus, quas hucusque enumeravimus, nobis arridet. Etenim Himlyus pro singulari sua ingenii amplitudine et acumine respexit:

- 1) modum vasorum imbibentium et resorbentium
- 2) horum conjunctionem cum tela cellulosa interjecta.
- 3) inflammationem suo quamque loco spectat, atque in pravam synthesisin singulorum organorum et factorum inquirat.

Quo magis Himlyi sententia intelligatur, haec monuisse juvabit: Receptivitas ipsi valet pro universi systematis sensibilis Summa, cujus effigies in cerebri et medulla spinali posita est; agendi vero facultas est Summa irritabilitatis seu fibrarum et vasorum systematis, cujus effigies musculi et arteriae,

Nequa tamen in illa definitione acquiescendum est. Non in omni inflammatione telae cellulosae tur-

batione opus esse videtur. Sed ejus sententiam, ut probabile est, ita interpretari debemus, ut telam cellulosem non absolute, sed relative turbatam intelligat, auctis nimirum vasorum imbibentium ac resorbentium functionibus.

Praeterea adhaesionis symptoma, hic neglectum, desideramus, qua de re lectorem ad §.§. infra sequentes ablegamus.

### §. 35.

Nunc accedimus ad theorias Troxleri et Marci excutiendas, qui quidem a plurimis naturae philosophorum principes habentur.

Troxlero pertinet inflammatio ad unam e tribus, quas proposuit, vitae formis, ad chemicam. Cum autem vis chemica in universam materiam agat, neque, uti magnetica cohaesionem in longo, neque, ut electrica, in plano significet, inflammatio ipsi est:

- 1) morbosa totius organi affectio;
- 2) absolvitur repugnantia quadam interiorum ipsius organi partium;
- 3) non solum modus organismi, sed potius totum organismum afficit. Est igitur:
- 4) status organismi individui ad solvendum proclivior.

### §. 36.

Quod ad primum argumentum adinet, hoc quidem elucet ex Troxleri notione inflammationis, quae est, eam attingere tertiam seu chemicam dimensionem. Atqui si in eo cum Troxlero convenerimus, ideo parum consentaneum nobis videbitur, inflammationem definiri morbum sanguinis vasorum unius tantummodo partis.

Alterum argumentum e discrimine, quod intercedit inter congestionem et inflammationem, probare cupit. Asserit autem, congestionem sanguinis ad vasa minima, quae ante sanguine caruerint, haud sufficere ad constituendam inflammationis naturam; sed congestionem tantum nasci e mechanisimi organici vel efficaciae vasorum unius partis conditione turbata.

Tertium argumentum in eo fere nititur: Inflammatio ipsa tum demum accedit, ubi morbus ingravescens vehementius egerat, ita ut eam, nisi medendo tollatur, pyogenesis, gangraena sequatur; imo sin diutius perseveraverit, pars affecta sensim sensimque marcescat, postremo penitus solvatur.

Mihi quidem hae rationes minus probantur, quoniam

- 1) argumento primo et tertio eadem fere significantur;
- 2) morbum inflammationi antecedentem non utique assumere licet;

3) cum, etiam si non tollatur, haud necessario pyrogenesis et gangraena partis affectae inde sequantur. Multae nimirum inflammationes sua sponte resolvuntur vel in scirrhum abeunt.

Quantum denique argumentum omni prope lumine caret. Auctor examinat usitatum inflammationis symptomatologiam, minime sufficere eandem iudicat, deinde sic pergit: „Si quaerimus quanam sit hujus morbi natura, apparet, hic agi de ipsius partis affectae existentia. Sive acutus sit morbus, sive chronicus, nihil profecto aliud est, nisi status organismi individui ad solvendum proclivior.“

Hocce postremum Troxleri effatum alio quodam ejusdem disputationis loco innititur, ubi causam inflammationis non in synthetica organismi conditione, sed in singula organica Monade positam esse docet, quae quidem Monas quodammodo Totum aliquid sit. Ubicunque Monas organica deletur, eodemque temporis momento renascitur, Vegetatio deprehenditur; ubi vero perdita restitui nequeunt, inflammatio.

#### §. 37.

Troxlero igitur teste inflammatio in existentia partis ipsius versatur, et efficitur nonnisi statu organismi individui ad solvendum proclivior. Sub „parte ipsa“ intelligi vult, ut probabile est, totum

rganismum, hujusque propensitatem omnia sibi assimilandi, quae ad ipsam conservandam faciunt; „solutio vero organismi individui“ idem prope significare videtur, ac „conditio partis inflammatione affectae.“

#### §. 38.

Nimis atomistica mihi quidem ista explicatio videtur. Monadibus tantum momentum tribuere, minime licet. Sed forsitan haud satis ego intelligo, quod intelligi vult.

Ejus ideae in fundamento sane probabili positae sunt, cum sedem inflammationis in primis vegetationis momentis quaerere jubeat. Attamen suspicor, rem magis etiam perspectum iri, si prima vegetationis momenta ad inorganicas partes retulerimus. Hic autem agitur de partibus organicis.

#### §. 39.

Marcus causam inflammationis unicam quaerit in systemate arteriarum. Partes arterius non praeditas non inflammari posse credit; quo plures cuique organo insint arteriae, eo graviorem existere inflammationem; falli id circo, qui putent, venas, vasa lymphatica et nervos inflammari; appellationem certe inflammationum venosarum, lymphaticarum, nervosarum, imaginem rei minus rectam in animum inducere. Inflammationem non nisi in organismo,

irritabilitate praedito, nasci, (siquidem systemata dimensionibus suis respondeant, reproductio scilicet venis, irritabilitas arterius). Atque pro diverso irritabilitatis modo, et ubi eadem in statu sano praeponderat, graviores etiam inflammationes apparere. In partibus us, quae omni irritabilitate careant, nullam inflammationem gigni posse.

At enim nullum organum inflammari potest, nisi in sua ipsius dimensione, quae est irritabilitas, afficiatur. Cum autem tantum intersit inter systemata articularum et vasorum lymphaticorum, facile intelligitur, quanto in discrimine varia inflammationis genera ponenda sunt. Itaque quodvis systema, quatenus irritabilitatis particeps est, etiam inflammationi obnoxium esse reperitur. Neque vero tota arteria, aut vena aut vas lymphaticum inflammatum judicari debet, sed ea tantummodo pars, quae irritabilitatis particeps est.

#### §. 40.

Marcus sedem inflammationis quaerit in dimensione secunda mutata quoad cohaesionem, unde scilicet contractio quaedam nascatur. Secunda autem dimensio ipsi est certamen virium organicarum, magneticae nimirum et electricae. Verum e dimensionibus solis, neglectis organis et peculiaribus systematibus, neque inflammatio neque aliud morborum genus explicari po-

test. Horum systematum notae minus repetendae sunt a graviore vel leviore alicujus dimensionis efficacia, quam potius a proprietate cujusvis systematis et organi. Ita quidem in pulmonibus arteriae, in hepate venae praeponderant; illi igitur sunt magis arteriosi, hoc magis venosum. Neque tamen in utrisque vel articularum vel venarum majorem copiam, sed modo substantiam vel pulmoneam vel hepaticam reperias; inflammatio ergo pulmonum longe alia atque hepatis.

#### §. 41.

Magis perspicue sententiam suam pronuntiavit Marcus in illo libro, quem de therapia speciali scripsit. Inflammationem nasci, si electricum dimensionum momentum corripitur, itaque pertinere ad irritabilitatem. Atque cum arterialitas parti irritabilitatis positivo respondeat, etiam cum electrico momento congruit. Ubi vero inflammatio accedit, arterialitas correpta sit, necesse est.

Cum autem secundum Marci opinionem arterialitas expansioni respondeat, hujus functio, quando contractio fit, necessario turbatur, ideoque morbose afficitur. Sed ubi contractio in arteria appareat, ibi esse inflammationem. Inflammationes igitur non nisi arteriosas existere.

#### §. 42.

Quantumvis autem Troxlerus et Marcus, in exponendis suis sententiis congruere videantur, et

uterque dimensionibus et momentis assumtis naturam inflammationis declarare cupiat, maxime tamen quoad ipsam rem interse differunt. Si quis accuratius examinaverit Marci ideas, quod quidem mihi fecisse videor, ne speret inde scitu jucunda. Quid tandem voluit sibi cum ista verborum farragine? Nil protulit, nisi quae Boerhaavius, van den Bosch, Richter, alii, jam dudum antea docuerant, hoc tantum discrimine, ut ea in systema redigere studuerit. — Sententiam eorum, qui inflammationem nil nisi arteriae contractionem esse putarent, jam supra infirmavimus.

#### § 43.

Cum jam in eo essem, ut meam qualemcunque de inflammationibus sententiam, quae in sequentibus §.§. exstat, litteris consignarem, oblata mihi est Cl. Gruithuisen commentatio de inflammationibus. Quamvis perjucundum mihi sit, meas ideas, quae mihi quidem plane novae videbantur, eodem temporis tractu prodire, quo Vir ille eruditissimus suum librum edidit, tamen magis etiam laetabar, nonnulla me reperisse, quae minus cum ejus sententia convenirent.

Gruithuisen statum quendam morbosum (ein Krankheits-Wesen) ponit, ex quo nimirum inflammatio nascatur; mihi vero hic status idem fere valet, ac natura ipsa inflammationis. „Nullo, inquit, alio

modo inflammatio nasci potest, nisi antea organica alicujus partis conditio (Organisation) deminuta fuerit.“

Multo vero aliter mihi de organica conditione et de vita persuasum est, quod longum foret, hoc loco enarrare. Pauca tamen monere liceat.

1) An conditio organica, cum jam omnibus partibus perfecta et absoluta est, quoad vim et naturam suam diminui et augeri potest, ita ut ejus proprietates non intercidat?

2) Forsan „deminutio“ designat singulorum systematum conditionem turbatam? Tum vero haec quovis altero morbo pariter efficeretur, et organi conditio postremo penitus perderetur.

3) Annon omnis organicae conditionis deminutio obstaret typo productivo (Bildungs-Typus)?

3) Unde cognoscitur deminutio alicujus organi? (veluti in extremo quodam, quale est cerebrum) Num, priusquam inflammetur, rursus ganglion aut nervus fieri potest? An idem in arteriis evenire potest?

Sed jam de natura inflammationis disserentem eum audiamus.

„Inflammatio, inquit, est quaedam in organismo procreandi activitas, qua organismus auctior quodammodo et intentior evadit.“ Quae nunc sequuntur

tur, lingua vernacula, propter nimiam, quae iis inest, difficultatem, adlata esse, lactor benevolus ignoscet.

„Das Wesen der Entzündung ist nichts anders, als die organische Thätigkeit der Höhersteigerung des durch irgend eine Krankheit auf eine untere Stufe gestellten Parenchymas, zwischen dem vorigen dabei verschwundenen Capillargefäß-System, durch welche die sanguinische und lymphatische Capillargefäß-Bildung und Entstehung der Poren und Nerven zu erfolgen pflegt.“

Quodsi probaretur, quod nondum satis manifestatum est, cuius nimirum inflammationi deminutionem organicae conditionis antecedere, haec explicatio omnino laude digna esset.

#### §. 44.

Postquam autem argumentis sane firmis evictum erat, ad inflammationem vi quadam vegetativa opus esse, analogiam inter inflammationem et generationem quaevebant; quas vero unum idemque valere, pro certo affirmare adhuc dubitabant.

Quo magis haec analogia, quae interdum inter generationem et inflammationem exstat, perspicua-  
tur, meam de hoc loco sententiam afferre, et accuratius eam exponere, licitum sit, rogo.

Materiae homogeneae, eidemque indifferenti vim quandam inesse, quae animantia procreare queat, inter omnes constat. Sic aquae inest vis procreandi animalia, quae vulgo dicuntur infusoria; ad quae procreanda non nisi mediis quibusdam, veluti aëre et calore fecundo, adjuvantibus opus est. Si animantium, organis praedictorum, seriem sursum persequimur, e contento ventris et intestinorum prorsus indifferenti, Entozoa gigni videmus; nec non helix vivipara Linn. usquequaque, vel sine coitu, vivis fetibus gravida reperitur. Simili modo animalia superiorum classium, innumeram ovorum vim, nullo coitu conceptam pariunt, e quibus, si loco tuto deposita fuerint, ipsa natura fovente, fetus excluduntur, quod cernitur in plerisque piscium, multis amphibiorum generibus. Quod hic extra genericam fit idem fere evenit in aliis amphibiorum generibus, ubi fetus e corpore matris, quocum nulla ipsis antea mechanica conjunctio fuerat, ultro prodeunt. Idem quoque in avibus accidit, quibus, simulac pristinam sedem reliquerunt, quavis calor sive naturalis sive artificialis, dummodo satis temperatus fuerit, idem praestare valet, atque calor matris. In quadrupedibus demum et hominibus umbilicalis funiculus, cotyledones et placenta uterina fetum cum matre artius conjungunt.

Haec igitur materia indifferens, ad generandum idonea, est vel aqua, vel mucus, amphibiorum et

piscium ova, avium vitellus, in quadrupedibus vero et hominibus ovum Graafianum.

§. 45.

Homogeneae hujus materiae procreandi activitates, tibi revera ad agendum perventum est, et organismus formari incipit, ad legem aliquam praescriptam agere, neque pro libitu altera alteram praeterire debent. Hisce nempe neglectis, atque turbata amborum factorum conditione, partus saepenumero eduntur deformes et monstrosi. Quo vero novum animans ad sanitatis normam conformatus prodeat, alter alterum invicem adjuvet et coërceat, alter alteri par sit oportet; i. e. invicem sibi oppositi agant. Agentes autem hi factores cernuntur in sanguine et nervorum materia, quae, ut primum oriuntur, polaritatis notam prae se ferunt. Dum enim sanguis in peripheria agere coepit, nervorum materia centrum occupat, atque nonnisi invicem appropinquantes et una agentes, partes antea dispersas in unum organicum corpus colligere, ideoque harmonice absolvere valent. Quando sanguis ad cor pervenerit, et medullae spinalis atque cerebri radii in extremas quasque partes penetraverint, tum demum novum organismum plane excultum dicere licebit.

§. 46.

Sicuti haec in formatione fetuum agebant, ita etiam in organismo perfecto agunt, cum perditis res-

titui oporteat. Incrementum enim, nutritio, materia succrescens nihil aliud est, nisi continuata producendi actio, et procreandi studium idem significat, atque corporis jamjam exculi propensitas ad restituenda, quae perditas fuerunt. Hanc propensitatem sentimus, quando vel esurimus, vel sitimus, vel aliis modis.

§. 47.

Adeo denique descripsimus rem, quam multi sine perspicua rei imagine, vitae vegetativae, processus vegetativi, et vitae automatae nominibus signaverunt. Simulac ambo sibi opposita, sibi appropinquantur et ad formandum organismum faciunt, tunc ea vita incipit, quae vulgo sensus (sensoriell) dicitur. Tali modo utramque vitam in corpore conjunctam reperimus, quarum altera in Reproductione altera in Sensibilitate et Irritabilitate versatur.

§. 48.

Aequae ac mater ad procreandum organismum, ipsi similem, materiam suppeditavit, ita etiam inter vitam sensilem et vegetativam eadem conjunctio existat. Atqui cum duae res, sibi contrariae, tum demum aliquid procreare queant, quando invicem se tollunt: ita nervorum et vasorum systemata in telam cellulosa coeunt, quae satis materiae procreandi studio subministrat. Tali modo ex hac cellulosa

tela — quae potius mucosa dicatur, cum experientia recentiorum temporum illas cellas tantum arte procreari docuerit — ex hac igitur tela materia indifferens efficitur, quae quidem ad generandum ideoque ad perdita restituenda aptissima est.

#### §. 49.

Inflammati igitur nascitur, quando organum aliquod indiffere s factum — quale est systema mucosum — ad emaciam denuo assequendam (sich zu potenziren) tendit. Attamen multum differt ab incremento et productione. Nam nihil ista prodest organismo homogeneo (sano et vigenti) quoniam, turbata semel factorum conditione, efficaciae assequendae studium non nisi pravam organorum conditionem hic proferre valet.

Argumenta probandi sunt haec:

1) Organum indifferens, tela cellulosa s. mucus in partibus organismi inferioribus necessario requiritur ad inflammandam aliquam partem.

2) Efficaciae majoris assequendae studium probatur:

a) novis vasis, affluxu lymphae plasticae exortis,

b) vas capillare, et omnium vasorum extremae partes afficiuntur, quia in telam cellulosam abeunt; conditione ejusdem turbata efficaciores redduntur, et polaritatem auctiorem repraesentant.

3) Tela cellulosa in inflammationibus evanescit, atque aliis vasis repletur.

4) Pyogenesis in decursu inflammationis accedit, qua producendi quidam actus manifestatur. Hac ratione multo facilius omnia inflammationis symptomata explicari possunt.

Rubor. Aut arterialis poli aut sensibilis vim, turbata scilicet conditione, in nonnullis certe partibus auctam esse, unde coloris immutatio fiat, mihi quidem prope persuasum est. Annon vere censendum sit, vasa recens genita, et sanguinem coagulatum, quae in omni inflammatione cernere licet, non sufficere ad ruborem procreandum?

Dolor itidem in partibus inflammatis efficitur nervorum materia, quae, siquidem affluxum lymphae plasticae et novam sanguinis productionem, de quibus neminem dubitaturum esse spero, concedimus, necessario efficitur. Si loquimur de nervorum materia, non dicimus utique nervos jam excultos; neque sensuum externorum ope, sed mente tantummodo comprehendere eos possumus. Partes, quibus nervorum materia insolita accedit, majoribus etiam, cum inflammanantur, doloribus cruciantur, quod intelligi licet ex inflammatione in membranis serosis. Reliqua symptomata nullo negotio, et materialiter quodammodo explicari possunt.

#### §. 50.

Dicat forsitan aliquis, hanc explicandi rationem nimis communem esse. Sed argumentis, supra pro-

latis, satis evictum esse videtur, hic morbus quantopere naturalis sit. Atque cum inflammatio in quavis corporis parte, dummodo telae mucosae particeps sit, nasci possit, inde apparet, eam tantummodo explanationem satis facere, quae primum respiciat conditionem organorum et superiorum et inferiorum — dein diversa, quae inflammationem procreare queant, momenta, qualia exstant; maximus calor, maximum frigus, acida et alcalia concentrata — quae denique id universe respiciat, omnia omnino, quae unam partem magis quam aliam huic propinquam incitent, ad inflammationem efficiendam valere.

Libri, quibus in conscribenda hac dissertatione usus sum, sunt hi:

---

Im. Kant. Kritik der reinen Vernunft. Riga 1799. — Schelling, F. W. J., über göttliche und natürliche Principien der Dinge, ein Gespräch. Berlin 1802. — Schelling Ideen zu einer Philosophie der Natur. — Schelling Abhandlung über das Verhältniß des Realen und Idealen. Landshut, Weber 1807. — Schelling, Von der Weltseele, eine Hypothese der höhern Physik zur Erklärung des allgemeinen Organismus. Hamburg, Perthes 1806. — Oken, Lehrbuch des Systems der Naturphilosophie. Jena, Frommann, 1810. — Troxler, Ideen zur Grundlage der Therapie und Nosologie. Jena, 1803. — Markus, Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg, 1807. — Schelling und Markus, Jahrbücher der Medizin. Tübingen, Cotta 1805 — 1808. — Reil über die Erkenntniß und Cur der Fieber. Halle. — Reil von Grunde und Erscheinung der Krankheit. Halle, Curt. 1815. — John Hunter, Versuche über das Blut, die Entzündung und die Schusswunden, herausgegeben

von C. B. G. Hebenstreit. Leipzig, Sommer, 1797.  
 — Hippocratis opera omnia ed. Foësius. Franco-  
 furti MDCV. — Galeni opera omnia edit. lat. Froh-  
 beemi, Basileae, 1561. — Coelus Aurelianus, de mor-  
 bis acutis et chronicis, ad opt. ed. Albr. de Haller  
 Lausanne, Pott, 1774. — Johanni Baptistae van Hel-  
 mont opera omnia. Francof. 1682. — Herm. Boer-  
 haave, Praelectiones academicae &c. Taurini, 1745.  
 — Anton de Leeuwenhoek arcana naturae ope mi-  
 croskopiorum detecta. Lugdun. Batav. 1685 — 1702.  
 — C. L. Hoffmann, opuscula medica. ex edit. Chavet-  
 Münster, 1789 — Wedekind, G., allgemeine The-  
 rie der Entzündungen. Leipzig, 1790. — Richter, A.  
 G., chirurgische Bibliothek. — Haller, Albr. de,  
 Elementa physiolog. corp. hum. Lausanne, 1757 —  
 1778. — Winterl, J. J., dissertatio medica, propo-  
 neus inflammationis theoriam novam, Vien. 1757. —  
 Cullen, W., Anfangsgründe der praktischen Arznei-  
 wissenschaft, a. d. Engl., Leipzig, 1800. — Richter,  
 A. G., Wundarzneikunde. — Bosch, J. J. van den,  
 theoretisch-practische Bemerkungen des Muskelver-  
 mögens der Haargefäße, Münster, 1786. — Imma-  
 nel Meier, über die Natur der Entzündungen, ein  
 historisch-critischer Versuch. Berlin, 1810. — Berg-  
 mann, Dissertatio, sistens primas lineas pathologiae  
 comparatae. Götting, 1804. — Humly, in suis prae-  
 lectionibus. — Salzburger medicinische Zeitung Nr.  
 34 und 35. 1816. — Meckel, Handbuch der mensch-  
 lichen Anatomie. — Monro, Beobachtungen über  
 das Nervensystem, 1784. — Meckel, Pathologische  
 Anatomie. 1818.